



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Paraphrasis Psalmorvm Davidis Poetica**

**Buchanan, George**

**Argentorati, M. D. LXVIII.**

**VD16 B 3125**

Psal. XI. In Domino confido, &c. Carm. gen. 6.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Tu mentis improbae doma,  
 A stirpe cæsa donec impietas simul  
     Eliminetur & impius.  
 Tum firma Dominus sæculorum in sæcula  
     Sceptra obtinebis imperij,  
 Gentesque terræ finibus procul tuæ  
     Exterminabis impias.  
 Hæc uota duris obruti laboribus,  
     Has supplices fundunt preces:  
 Animosque stimulis incitati talibus,  
     Telacrymantes postulant  
 Pupillum & inopem ut vindices potentium  
     Ab impotenti audacia  
 Homo ut feroce spiritus ponat suæ  
     Infirmitatis conscius.

PSAL. XI. In Domino confido, &c.

Carm. gen. 6.

**Q**UAM spe salutis non dubia fruar,  
 Deoque fidam, uos mihi dicitis:  
     Facesse rupes in remotas,  
     Anteuolans pauidas uolucres.  
 Intendit arcum (en aspicis) impius,  
 Nero sagittas admouet, ut petat  
     Incogitantes è latebris  
     Innocuos, animique rectos.  
 At tu potenti Rex bone dextera  
 Domas rebelles, & facis irrita  
     Decreta uelsani furoris  
     Contra humiles male nil merentes.  
 Aeterna cæli templa colens Deus,

Et

Et lucido astrorum in solio sedens,  
 Humana per terras acutis  
 Facta oculis speculatur omnes.  
 Non iustus illum, non latet impius  
 Cuncta intuentem, sed studio ad nefas  
 Pronos maligno iustus orbis  
 Ex animo moderator odit.  
 Super scelestos retia depluet:  
 Ignes remisto sulphure flammeos  
 Ad impios eliminandos  
 Fulmineæ rapient procellæ.  
 Iustosq; iustus iustitiae parens  
 Amore sancto amplectitur unicè,  
 Et fraudis ignaram ante uultus  
 Assiduè uidet æquitatem.

## PSAL. XII. Saluum me fac Dom. &amp;c.

Carm. gen. 9.

**A**ffer opem, seruator opem fer. pulsa recessit  
 Intemerata fides:  
 Nuda fides, hominum fugit commercia: uana  
 Cum socio loquitur  
 Quisq; suo, blanda exercēs mendacia lingua,  
 Corde scelus meditans.  
 Ora Deus fraudum dulci medicata ueneno  
 Conterat, & penitus  
 Grandiloquam ex ima linguā radice reuellat:  
 Quique pudore carent,  
 Dicere nec mentiunt, Falsa ad periuria linguas  
 Fortiter intrepidi  
 Assuescamus, & os age confirmemus ad omne

B